

nem & superni luminis charitatem. Per Christum Dominum nostrum. Amen:

MODUS ABSOLVENDI à SUSPENSIONE
VEL INTERDICTO INTRA VEL EX-
TRA CONFESSIONEM.

Sacerdos datâ facultate & nullis præscriptis
verbis procedit modo sequente:

Pœnitens dicat : Confiteor &c.

Sacerdos : Misereatur &c. Indulgentiam &c.

Authoritate mihi à (N.) tradita, ego absolvo te à vinculo suspensionis (vel interdicti) quam (vel quod) propter tale factum (vel causam) incurristi (vel incurrisse declaratus es.) In nomine Patris † &c.

Si Confessario data est potestas dispensandi super irregularitate intra, vel extra Confessionem sacramentalem, tunc post absolutionem à peccatis addit:

Et eadem Auctoritate dispenseo tecum super irregularitate (vel irregularitatibus) in quam (quas) ob talem causam (causas eas exprimendo) incurristi; & habilem reddo, & restituo te executioni Ordinum & Officiorum tuorum. In nomine Patris † &c.

Si nullum habet Ordinem, dicit:

Habilem te reddo ad omnes Ordines suscipiendos: vel etiam ad alia juxta tenorem mandati.

Quod si titulus Beneficii restituendus & fructus malè percepti condonandi, subjungit: Et restituo tibi titulum (vel titulos) Beneficii (Beneficiorum) & condono tibi fructus malè perceptos. In nomine Patris † &c.